



Disputatio medica inauguralis de pleuritide exquisita

<https://hdl.handle.net/1874/343804>

31.

D I S P U T A T I O M E D I C A
I N A U G U R A L I S ,

D E

PLEURITIDE EXQUISITA.

Q U A M

A U S P I C E D E O O P T . M A X .

Auctoritate Magnifici D . Rectoris,

M. GERARDI de VRIES ,

Philosophiae Doctoris , ejusdemque Facultatis in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicî Consensu , Nobilissimeque
Facultatis MEDICÆ Decreto ,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè
& legitimè consequendis ,

Publico examini subjicit

JOHANNES CASPAR FEHR , SUEVOPHORD . FRANC .

Ad diem 22. Septembris , horis locoque solitis .



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi , clc Ioc xcii .

Inclita atque Liber & Sacri Romani Imperii
REIPUBLICÆ SUINFURTENSIS
PATRIBUS CONSCRIPTIS,

V I R I S

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis
Consultissimis, Excellentissimis atque
Prudentissimis*

D N N.

**CONSULI PRÆTORI, SEXVIRIS,
CONSILIARIIS, SCABINIS,
CÆTERISQUE
SENATORIBUS SINGULIS
GRAVISSIMIS,**

Dominis meis Mœcenatibus, Patronis,
& Fautoribus ætatèm Colendis,

*Inauguralem banc disputationem in grati animi
tesseram, ulterioremq[ue] sui commendationem*

D. D. D.

JOHANNES CASPAR FEHR.



PRO O E M I U M.

Si qui sunt morbi, qui expeditam pariter ac circumspectam Medici operam requirunt, illi certè sunt, quos Acutos nominare consuevimus. Non enim solum homines nihil mali cogitantes, quoque sanissimos judicasses, atroci vehementi subito invadunt, sed & antequam de eorum præsentia satis certi esse possumus, tam altas figunt radices, ut præstantissimis quibusvis medicamentis elusis, infaustum Microcosmo afferant interitum. Hinc Medico in arena consilium capiendum, quod enim vesperi curâsses, id juxta Tulpianum obs. p. 102. in crepusculo immedicable, & cum certa desperatione conjunctum videbis. Quo major verò horum est atrocitas, quove gravius periculum ex neglecta aut male instituta curatione ægris imminet, eò diligentius in iis medendis se exerceat Medicus, necesse est. Dum itaque præsens institutum Dissertationem quandam conscribere jussit, haud abs re me fakturum arbitratus sum, è dictorum morborum numero illum feligere, qui teste Bournet. in prax. Tom. II. p. 456. non tantum acutissimus omniumque frequentissimè in hominum vitam impetum facit, sed &

aegris maximam, ob coniunctum dolorem, affert molestiam: quid quod huic temporis Autumnali, regionibus hisce, humidiiori aere gaudentibus, admodum congruus est. Quod ceptum ut feliciter succedat, Te summe Archiater devota mente precor.

THE S I.



Leuritidi pars affecta nomen dedit, Græcis enim πλευρίτις dicta, δέπο τῆς πλευρᾶς derivatur, quæ vox latus, costam & membranam costas succingentem notat. Latinis à situ partis dolentis morbus lateralis, Celso Lateris dolor, Germanis das Seitstenstechen, Belgis Pleuris dicitur.

II. Licet autem nomine Pleuritidis omnis dolor in thoracis regione perceptus, sive is à flatibus, sive ab inflammatione Pleuræ, Pulmonum, Musculorum intercostalium, Mediastini, sive ab alia, quacunque demum causa ortum trahat, communiter venire soleat; attamen propriè ille tantum hoc gaudet titulo, qui à Pleuræ inflammatione dependet; unde etiam Pleuritis Exquisita nominatur. Et hæc est, quam pagellis his examinaturus, PLEURÆ INFLAMMATIONEM definio.

III. Generis loco Inflammationem posui, quam phœnomena Inflammationum ordinaria, nimirum Tumor, Dolor, Calor, Rubor, Pulsatio & Febris innunt. Dolor quidem, Calor p. n. & Febris primo intuitu sensibus cognoscuntur; Rubor autem, Tumor & pulsatio, quia in partibus corporis interioribus existunt, ratione tantum & è partis laxæ actionibus colligi queunt. Ipsa quoque Curatio eam demonstrat, quæ, uti in aliis inflammationibus, ita etiam in hac vel resolventibus, vel suppurantibus absolvitur. Quin pars affecta, si in cadaveribus morbo hoc defunctorum inspiciatur, tumet, rubet, exulcerata est, livet, nigritat, quæ omnia inflammationem adfuisse plenariè confirmant.

IV. Differentiam Pleura constituit. Per Pleuram intelligo membranam illam, quæ à vertebris initium sumit, & postquam thoracis cavitatem obduxit, in sterni interiore parte terminatur, vasa sanguifera à mammariis & vena αζυγο, nervos à pari vago nanciscitur. Cum enim dolor exquisitissimus circa eam thoracis regionem percipatur, ubi præter Pleuram nulla sensus adeo exquisiti pars reperitur, sectiones etiam anatomicæ

micæ eandem corruptam ostendant; solam hanc pro primario Pleuritidis subiecto venditare, nullus dubito.

V. Dum verò hæc affirmo, non metuo difficultates illas, quas tum Veterum, tum Recentiorum nonnulli, quorum omnium Dux est *Platerus*, hec movere conantur. Hi nempe, cum in Pleurite defunctorum cadaveribus pulmones unâ cum pleura corruptos offendissent, sibi que impossibile esse persuassisent, materiam eam, quam ægri primis diebus in majori copia non raro exspuunt, è pleura tanquam parte admodum exsangui, & ab aspera arteria longè remota, intra unius vel alterius diei spatium ad pulmones per vias Medicis ignotas deferri posse, non pleuram sed pulmones pro vero morbi hujus subiecto agnoverunt. Ut ut enim *Platero* facile largiar, in cadaveribus quæ ipse secuit, pulmones simul apparuisse corruptos; inde tamen nil aliud colligere licet, nisi quod tanta fuerit pleuræ inflammatio, ut partibus vicinis in consensum tractis, Pleuritis in peripneumoniam transierit, id quod in Pleurite lethali plurimum fit. Alia res esset, si illæsa pleurâ pulmones soli fuissent affecti, quod tamen nullibi legitur: contrarium autem sæpius. Ita *Prosper. Martian.* in *Hipp. loc. in hom. p. 78.* scio, inquit, in archihospitali S. S. quotidie observari cadavera pleuriticorum, in quibus latus læsum & corruptum reperitur, cuius rei præter Exc. hospitalis Medicos, & alios rei Medicæ studiosos, oculatus testis esse possum; quare quotiescumque Pleuritis est vera, semper latus affectum reperietur, pulmone illæso apparente. Ita *Willisius pharm. rat. part. 2. sect. 1. c. 9.* sedem mali hujus, inquit, in Pleura esse, tum doloris sensus, tum Pleurite defunctorum observationes plenariè testantur. Plura v. apud *Wallschm. in Prax. p. 387. River. lib. 2. prax. cap. 2. Bonnet anatom. præf. lib. 2. p. 493.*

VI. Quod porro rationes eorum attinet, primò extra omnem dubitationis alcam positum est, totam massam sanguineam per universum corporis ambitum intra unius horæ spatium non semel, sed sæpius, & juxta *Bontek. in oœcon. anim. p. 10.* ter decies circulum suum absolvere: quid igitur impedit, quominus materia hæc intra unius vel alterius diei spatium ad partes admodum vicinas deferri possit? Nec secundò quantitas materiæ hic obstat, præterquam enim, quod Pleura non adeo exsanguis, ut Veteres putabant, sed vasis arteriosis & venosis sufficienter instructa sit, in quibus stagnatione semel factâ, ob seri & sanguinis continuum affluxum sat magna humorum copia colligi potest; etiam partes vicinæ plerumque simul inflammantur, unde mirum non est, si quandoque tanta puris quantitas evacuetur, ut pelvim ademplet, quod *Forst. lib. 15. obs. 41.* notavit.

VII. Restat ut vias, per quas sputum, ut & pus, quod cum illo re-

jicitur è Pleura ad asperam arteriam defertur ; demonstrem. Ante omnia autem Galenus hac de re elegantissimè differens hēc attendi meretur , qui s. de loc. affect. meatus, inquit, per quos pus in asperam arteriam ingreditur , perpendere debet is, qui errorem in quem multi inciderunt, effugere vult , namque è thorace in pulmones quid recipi , impossibile esse jam sibi persuadent , fortasse ita simulantes, ne videantur de re aliqua dubitare. Cæterum credere debemus humorum fieri translationem , quippe pervulnra penetrantiora haud obscurè appetat : deinde quo pacto ea fieri potest , investigandum , ut , si invenerimus , animo simus quietiori, quamdiu autem nos nihil invenisse putamus , ruditatem potius accusare, quām veritatem ipsam negare , par est. Cui itaque in vias has mecum inquirere liber , facile reperiet , (1) non alium adesse ductum , nisi Venam *αγωγην* , per quam in statu naturali sanguis è Pleura in Venam cavam , ex hac in dextrum Cordis ventriculum , inde per Arteriam pulmonalem ad Arteriæ asperæ ramulos progreditur : (2.) dum materia acris circa Venam hanc stagnans , in pus mutatur , ipsam hanc necessariò corrodì , sicque puri ingressuro spatium concedi sufficientissimum ; & (3.) his positis , aliter fieri non posse , quin pus cum sanguine per Arterias continuò affluente in Venam hanc recipiatur , dumve in itinere non vias minores , sed mera vasa majora , invenit , ad Arteriæ asperæ ramulos deferatur.

VIII. Ad confirmationem sententiae hujus non parum conferunt Clariſſimorum Virorum obſervationes , quæ non ſolū in Pleuritide , ſed aliis etiam in morbis pus in venas reſorberi manifeſtè oſtendunt : ita Hoechſteit. obſ. med. p. 120. , memini , inquit , Patavii medicante Julio Caſer. Placent. cuidam vulnerato in brachio utroque pus per alvum exiſſe vulneribus ſiccis : ita Paræns l. 10. chir. cap. 12. in ſinistri cubiti articulo vulneratum pus per alvum deponiſſe & l. 16. c. 49. è brachii vulnere ad alvum & veficam ſimul materiam purulentam deſcendiſſe. Sculter. in armam. chir. obſ. & 51. in thoraciſ vulnerebus penetrantioribus : Fabric. Hild. cant. 2. obſ. 3. in Pleuritide : Borell. obſ. 17. cent. 1. in peripneumonia ; Foreſt. l. 15. obſ. 24. in Angina pus per eafdem vias evacuatū eſſe teſtantur. Plura v. apud Lang. epift. libr. 2. ep. 40. Dolœum. Encycl. med. p. 201. Rhod. obſ. cent. 2. p. 61. 62. 63.

IX. Alii Pleuritidem per dolorem lateris punctorium cum respiratione diſſicili , tuſli & febri continua deſcribunt : alii definitionem quam ſuperius poſui retinentes , respirationem diſſicilem & plura accidentia ſupperaddunt. Verū cùm Illi rationem Pleuritidis formalem adeò non expri-
mant , utporius mera producta & ſymptomata in medium afferant ; Hi
verò non ſolam rei eſſentiam explicantes , cauſas , effectus , & alia tanquam
ſuper-

superfluum quid huc vitiosè transferant, definitiones has, utpote minus accuratas, merito rejicio. Id enim approbare planè non possum, quod Medicorum nonnulli definitiones nostras non æque ad logica præcepta conscribendas & cogendas esse præcipiant, contenti explicazione perspicua, modo rei descriptæ essentia clarè percipi possit. Nam cum logicæ leges ipsa media nobis præbeant, quibus si utamur, rei definiendæ essentiam maximum perspicuè expressam intelligere, atque illa quæ obscuritatem aliquam parere apta nata sunt, commodè vitare possumus; Imò cum his neglectis fieri vix potuit, quin aliqua ad rei essentiam distinctè demonstrandam necessaria omittamus, vel saltem iis quæ in tractatione de causis, signis &c. proponenda fuissent, huc vitiosè translatis, dum nullum rerum ordinem servamus, confusio prompta sequatur: satius esse arbitror, si ad logicæ præcepta eas tradere studeamus. Accedit enim & istud, quod hoc ipso injuriæ, quæ hec facile inferri possunt, ac si nempe leges illæ nobis non æque cognitæ, vel ex negligentia prætermissæ essent, apte declinemus.

X. Progredior ad morbi hujus causas. Quemadmodum autem omnium inflammationum causam immediatam sanguinis acrioris stagnationem esse affirmo, ita si hæc in Pleura contingat, Pleuritidem immediate generari firmiter colligo. Si prius demonstravero, posterius erit manifestum. Ut hæc clarius proponam è Physiologicis suppono (1.) quamdiu vivimus perpetuam esse seri & sanguinis è Corde in arterias, ex his in venas & hinc iterum ad Cor circulationem, & (2.) ad hanc legitimè peragendam, tubulos in quibus itus hic & reditus peragitur, undique pervios esse, necesse esse. Quando jam contingit, ut obice alicubi posito humoribus circuantiibus transitus denegetur, aliter fieri nequit, quin sanguis continuo affluens in molem majorem accretus, partis in qua colligitur fibras extendendo tumorem producat. Si itaque sanguis, qui hic subsistere cogitur acreidine manifesta non æque sit imbutus, tunc præter tumorem, & leviusculum aliquando à fibrarum extensione oriundum dolorem, nulla observantur symptomata, id quod in Aneurismatibus & Varicibus ad oculum patet, si autem eidem particulæ acres, salinæ, sint admixtæ, tunc partis in qua stagnatio facta est fibræ non tantum in tumorem attolluntur, sed etiam redundunt punguntur, unde doloris sensus simul exoritur; porro ipsis his rossionibus Spiritus & humores in motum rapidiorem concitantur, hinc calor p. n. accedit. Præterea fibræ partim erosæ, partim extensa sanguinis colorem rubicundum transmittunt, quare rubor quoque præsto est. Insuper, cùm sanguis impetu quodam è corde in arterias, & ob irritationem, majori conatu ad partem affectam protrusus, libere progredi nequeat, motus, pulsatorius in apricum prodit. Tandem, si particulæ quædam acres,

quæ

quæ in motu suo turbatæ sunt; reliquo sanguini communicatæ easdem ibi turbas excitent, Febris supervenire solet. Sententiam hanc inflammations à causa externa inductæ optimè declarare norunt. Quando enim à frigoris vel caloris acrimonia, aut puncturis, acu, urticis, cauteriis, cutis fibrillæ vellicantur, tunc primò dolor hinc rubor, & tandem pulsatio & Febris, eodem plane modo prodeunt.

XI. Causam mediatam proximorem humorum circulantium coagulum & acrimonia constituit. Coagulum adesse exinde colligo, quia (1.) ut sanguis & serum ad poros partium occludendos apta reddantur, necesse est, ut à subtilitate sua remittant, (2.) malum hoc ab incrassantibus frigidis, acidis, adstringentibus non solùm generatur, sed & foveatur, & (3.) à resolventibus diaphoreticis iterum subjugatur. Acrimonia vero, licet eam in §. x. satis demonstraverim, ulterius inde confirmatur, quod in morbis hujusmodi acrimoniā corrigentia, qualia sunt balsamica, & absorbentia terrea, adeo laudabilem effectum edunt, ut omnem fere paginam absolvant. Præterea, si inflammatio in tunicis, quæ ob teneritudinem suam sensu delicatori gaudent, v.gr. in oculis fiat, tunc acredo satis molesta manifestè percipitur, ita ut de ejusdem præsentia nullum supersit dubium.

XII. Remotam tandem Pleuritidis causam omnia illa, quæ sanguini spissitudinem & acrimoniā conciliare norunt, absolvunt. Primū se offert Plethora, quam in juvēne sèpius malo huic ansam dedisse Binning. in obs. & cur. p. 264. & Heurn. libr. v. Aph. Hipp. viii. notavit. Quando enim tubuli sanguiferi ab humorum quantitate ita onerantur, ut undique turgeant, aliter fieri non potest, quin illi in motu suo vegeto impediti, quandoque etiam ob vasa à nimia quantitate disrupta extravasati, à vigore suo remittant.

XIII. Quantum Aëris inclemens, subita imprimis, & insignior ejus mutatio, in morbi hujus productione valet, quotidiana nos docet experientia. Legi hac de re mertur Syndenhan. de morb. epid. qui p. 201. & 226. à tempestate placida, tepente, ad postremos usque octobris dies perseverante quam frigida & humida mox exceptit, & l.c. p. 247. ut & Forest. in obs. med. tom. 2. lib. 16. p. 223. à gelu acriori diutius perseverante & in ver usque se extende, cui subito calida tempestas, successit Pleuritides frequentiores observavit. Prioris hanc do rationem: tempestate fervida diutius permanente, subtiliores massæ sanguineæ partes per sudores largius fluentes dissipantur, viscidiores verò, & acriores in corpore relictæ ab esu & potu frigidorum acidiusculorum, facile fermentescibilium fructuum horæorum & similium, quibus iis temporibus inhiare consuevimus, augmentur. Si jam tempestas humida & intènsè frigida subitò accedat, non solùm

solum particulae squalidae & impuræ, quibus aer hujusmodi scatet, suc-
cis nostris vitalibus in majori copia communicantur, sed iudicem etiam à
frigoris vehementia intimius coagulantur, simulve corporis pori arctius
occluduntur, unde seorsim omnimoda, & inflammatio praesto est. Poste-
rius exinde deduco, quod tempestate frigida diutius durante, serum &
sanguis ab aere, eo tempore admodum crasso & impuro existente, ad vo-
latilitatem debitam non perducantur, unde, accidente imprimis diaeta in-
convenientiori, & motus defectu, necessario viscedinem & acrimoniam
contrahunt. Aestus itaque fervidus mox supervenientis particulas volati-
les, quæ in pauca admodum quantitate adsunt dissipando facile consu-
mit, reliqua vero simul in motum agitatæ, cum ad illum rudiores sint, ob-
structiones inflammatorias procreant.

XIV. Quæ de aëris inclemencia jam dixi, illa in aliis quoque rebus quæ
M. S. mutationem subitaneam inferre norunt, locum inveniunt: ita
Binning. in obs. p. 39. refrigerationem corporis subitaneam à sudore largio-
ri, *Forestus obs. Tom. 2. lib. 16. obs. 26.* largiore aquæ frigidæ potum,
post incalescentiam: *Hildanus cent. 4. obs. 25.* indefessam saltationem, hanc-
que in sequentem potum frigidum *Guldenkl. lapsum in fluvium pleuri-*
tides produxisse annotarunt. Quin apud Forest. l. c. obs. 35. puellam, cum in
hyerne asperrima linteamina extra urbem lavasset, domum reversam & ca-
*lesfactam *Hochstet. obs. med. part. posthum. p. 40.* fœminam in siccandis lin-*
teaminibus uidis & lotis intentam, cum solis aestum non curaret, eodem
modo Pleurite correptas esse, legimus.

XV. E cibis & potu morbo huic pabulum suppeditant, qui chylum
viscosum & acrem largiuntur, qualis enim chylus, talis etiam esse solet
sanguis. Præstant hoc imprimis illi, qui dissolutu sunt difficiliores, vel
acrimoniam manifestam secum vehunt, quales sunt carnes fumo induratæ,
sale conditæ, pisces, brassica muriatica, fructus horæi, olera; ab acetariis
Polybius hist. l. 2. Agron. Regem Hungarie in Pleuritidem lethalem inci-
disse refert: *huc pertinet cerevisia & vinum fœculenta, acescentia, ut &*
*mustum, à cuius usu *Zacut. Læst. l. 1. prax. obs. 108.* eandem observavit.*
Insuper quævis alimenta, etsi in se maximè laudabilia, si in nimia quanti-
tate, aut tempore minus convenienti assumantur, in acorem & magma
viscosum convertuntur; ita licet vinum ad corporis robur conservandum
mirum quantum faciat, nihilominus ex ejusdem potu largiori Pleuritides
sæpius produci solent. Exempla V. apud *Binning. l. c. p. 174. Forest.*
obs. tom. 2. lib. 16. obs. 26. 27. & 36. Wallach. in Prax. p. 46. Eodem modo
aquam frigidam & cerevisiam defæcatam in se admodum laudabiles, in corpus
calore aestuans assumptas, morbi hujus authores fuisse è §. precedenti ab-
unde videre est. Nec somnus & vigiliae hic excludenda sunt. Somni enim

tempore tota M. S. pulsu teste segnius movetur, unde si in eo excessus fiat, succi vitales ob motum tardiorem diutius continuatum non satis agitati, ad stagnationem proni redduntur. Præsentius vero periculum imminet, si eundem tempore æstivo, corpore imprimis motu vel calore nimio lassato, in loco umbroso, humido ineamus; præterquam enim quod tunc volatiles M. S. partes ob æstum vel motum vehementiorem prægressum, dispersæ sint, ac ipse somnus hic multum contribuat, etiam effluvia impura, humida corpori largè communicantur; unde *Heurnius* l. 5. *Hipp. Aph.* 8. juvenem qui, cum ruri esset, humili dormivit: *Riverius* obf. lib. 2. p. 419. virum in pomcerio capite nudo radiis solaribus exposito, dormientem & *Forest.* l. c. obf. 205. ad aqueam fossam mense majo decumbentem, Pleuritide correptos esse testantur. Vigiliae vero nimis, cum agibiliores M. S. partes consumant, ruditatibus cumulandis non levem præbent ansam.

XVI. Animis item pathemata non minimum hic pondus addunt, siquidem occasione terroris *Hæchstett.* l. c. p. 90. ira *Eph. A. N. C.* dec. 2. *Ann.* 1. obf. 128. Pleuritides ortas esse tradunt; terror nempe, ut & tristitia volatiles sanguinis partes figendo & incrassando; ira vero, cum integrum M. S. nimium exagitet, eisdem dissipando, obstructionibus inflammatoriis favent. A mensium obstructione *Decdat. in Valed.* p. 229. à lochio-rum suppressione *Binning. cent.* 3. obf. 29. candem observarunt; haenam ob-structiones non tantum humorum crassitatem præsupponunt, sed & pletho-ram inducunt, quæ qua ratione Pleuritidem generat, ex superioribus patet. Nec scabies retrogressa hic omni vacat culpa, exemplum vid. apud *Amat. Lusit.* cent. 3. curat. 62. Nam pustulae illæ salibus acribus originem debent, quæ ad cutis superficiem delatae stagnando & eandem erodendo inflammations quasi minimas excitant; si jam salia hæc per topica, mercurialis imprimis non ritè præparata, vel minus accurata methodo adhibita in fluorem redigantur, cum sero & sanguine iterum circulata, iisdem aco-rem suum communicant. Tandem hoc referri merentur contusions & percussions externæ, per quas tubulis sanguiferis disruptis, sanguis extra-vasatus stagnando acrimoniam & coagulum induit. Exemplum vid. apud *Hæchstett.* obf. 32. p. 20. *Tolet. lib.* 4. thes. var. cap. 1. *Act. Haffn.* vol. 2. p. 239. *Plater. obf. lib.* 2. p. 417.

XVII. Devenio nunc ad tractationem de signis ubi inter diagnostica primum se offert Dolor punctorius maximè acutus, in alterutro thoracis latere perceptus, qui quandoque versus superiora, Claviculas scilicet & jugulum, quandoque versus dorsum vergens, è decubitu in latus sanum exacerbari solet. Oritur hic, quatenus nervorum fibrillæ à materiæ circa illas stagnantis acrimonia vellicatur, vellicatio hæc per spiritus menti com-muni-

municatur, ibique ejusmodi sensationem exprimit, quam dolorem di-
cere consuevimus, cumque hæc in parte admodum sensili, membrano-
sa nimurum peragantur, aliter fieri non potest, quin acutissimus idem
exsurgat. Quando verò ob materiæ copiam vel acrimoniam majorem fi-
bræ nerveæ in tantum vellicantur, ut partes vicinæ in consensum trahan-
tur, tunc, si in partibus pleuræ superioribus mali sedes fuerit, ad supe-
riora, scapulas scilicet & jugulum, sive in inferioribus, ad dorsum se
dolor extendit. Insuper ægro in latus sanum decumbente, pulmones, &
quicquid in thoracis cavitate continetur versus illam partem pondere suo
delabitur, quo facto, lateris oppositi fibræ à materia subsistente jamdum
p. n. extensæ, ulterius tenduntur, & per consequens dolor exasper-
atur.

XVIII. Secundum morbi hujus signum est Febris continua. Nam
particulæ quedam ob stagnationem in Pleura acriores redditæ, & in
motu suo regulari turbatæ à sanguine subinde magis magisque affluente
per poros & vasa protruduntur, atque sic reliquo sanguini admistæ, to-
tam M. S. turbando febrim symptomaticam excitant.

XIX. Tertium est Respiratio frequens & dolorifica. Pleura enim,
cum inflammata sit, tumet, unde pulmones se sufficienter explicare ne-
queunt, idque repetitis vicibus compensare opus habent. Si verò pars
affecta inter inspirandum ob pulmonum expansionem liberiorem, vel etiam
tumoris magnitudinem à pulmonibus attingatur, dolor promptè super-
venit.

XX. Quartum est, Tussis ab initio sicca, hinc verò cum rejectione
sputi crassi spumosi, mox cruenti, purulenti, & variè tinti. Oritur
hæc quatenus acres quedam particulæ partim per viciniam, & immediatum
pleuræ cum pulmonibus contactum, partim verò, dum tota M. S.
iisdem turget, per Arteriam pulmonalem ad pulmones delatae, nerveas
eorum fibrillas irritant. Quamdiu itaque materia ad rejiciendum minus
apta est, tussis manet sicca, quando verò successu temporis materia dige-
ritur & in pus mutatur, aut etiam vasa simul rumpantur, tunc sputa spu-
mosa, purulenta, cruenta simul prodeunt.

XXI. Sicuti verò quatuor hæc signa Pleuritidi exquisitæ semper con-
junguntur; ita dolor capitis, sitis p. n. convulsiones & similia his non
raro superveniunt. Cum enim integra M. S. acore coagulante sit referta,
hinc si in capite virus suum exerat Cephalalgiam, si nervos intimius ir-
ritet, Convulsiones, si salivales faucium glandulas obstruat, sitim p. n.
excitat.

XXII. Dignoscitur Pleuritis r. à Peripneumonia, quod dolor in hac
non adeo vehemens sit ac in Pleuritide, ubi, acerrimæ sentiuntur pun-
cturæ;

etur; pulmones enim membranis admodum raris præditi, non adeo exquisiti sensus sunt ac pleura, quæ è meris tendinum fibris contexta videntur. Respiratio etiam, & tussis multo difficilior est in hac quam in illa: in Peripneumonia enim respirationis organa per se, in Pleuritide vero per consensum afficiuntur. 2. A muscularum intercostalium inflammatione, quia hæc sine febre fit, aut si febris adsit, ea lenta tantum, tussis vero rara & dolor obtusus est, si musculi exteriores affecti sunt, dolor tactu exacerbatur, locus tumet, rubet, ardet, & tandem pus plorat. 3. A Mediastini inflammatione; quia in hac dolor obtusus communicatur usque ad sternum, & per medium pectoris in longitudine ad collum transfit. 4. Ab Hepatis inflammatione: quia in hac dolor obtusus sub costis spuriis in dextro hypochondrio reperitur, qui corpore in latu alterutrum inclinato locum mutat. 5. A diaphragmatis inflammatione; quod in hac dolor circularis circa externa costarum confinia observatur, & delirium ordinariè conjungitur. 6. A Pleuritide flatuenda, quia in hac usus flatulentorum præcessit, dolor vagus sine febre cum flatibus & ructibus observatur.

XXIII. His aliquid de prognosi subnectere, consultum puto. Licet autem juxta Hipp. 2. aphor. 19. morborum acutorum, adeoque etiam Pleuritidis, vel ad salutem vel ad mortem certa prædictio non sit, nihilominus tamen bene sperare jubeo, si primis statim diebus, tussi præsertim non adeo valida existente, Expectoratio sputi copisi albi, hinc purulentii, cruenti prompte succedat. Hæc enim materiam peccantem non solum bene digeri sed & decenter evacuari ostendunt. At si nec in principio, nec in augmento sputa prodire observentur, aut si prodierint, jam supprimantur, pectoris sonitus, tussis vehementior & Orthopnæa summa conjugatur; certissimum adest indicium materiam crassam, copiosam, Pulmonum bronchia in tantum obsidere, ut non solum aeri ingressuro spatium sufficiens denegetur, sed & eorum vasa majora æque ac minora eosque comprimentur, ut non nisi summis conatibus, sanguis in iisdem circulari possit. Imprimis hoc in Cacheoticis & Asthmaticis videre est, quorum bronchia à sero coagulata jamdum sunt infarcta, quare ex levi alicujus materiae accessu Orthopnæa summa & summum vitæ periculum imminet. Nec boni omnis signa sunt, si ab initio sputum mere sanguineum, vel pus in ingenti copia rejiciatur; prius enim humorum acrimoniam summam, & ab hac dependentem vasorum majorum disruptionem; posterius autem, puris ingentem copiam, à qua pulmo facile penitus obrui potest, arguit. Livida aut nigra si excernantur, corruptionem humorum omnimodam, & partium internarum gangrenam indicant. Convulsiones, & deliria genus nervosum intimius affectum adeo que

que rem periculi plenam ostendunt. Ad salutis signa puris per alvum ; vel vias urinarias excretio referri meretur. Videtur equidem phænomenon hoc primo intuitu impossibile ; interim, cùm Viris fide dignissimis, quorum superiùs mentionem feci, fidem denegare incongruum sit, hinc nonnulli reperiuntur, qui pus in cavitate thoracis collectum in vapores mutari, diaphragmatis poros trahere, & descendendo per abdomen, in tunicas intestinorum & vesicæ urinariæ impingere, eorumque poros penetrare, sicque vel per alvum, vel per vesicam rursus excerni putant. Verùm opinio hæc maximas habet difficultates (1.) enim nullus Medicorum pus in vaporem & hinc iterum in pus mutari posse facile concedet, (2) diaphragmatis æque ac intestinorum & vesicæ urinariæ structura adeo compacta est, ut ne quidem aëri vel aquæ, multò minus puri transitum concedat (3) Necessum esset, ut pus antequam in vapores mutari, & hinc iter suum longinquum per vias has invias absolvere posset, maximum temporis spatum consumeret ; inde verò aliter fieri non posset, quin idem acrimoniam summam conciperet, atqne partes per qua transit, corrodere, exulceraret, destrueret. Unde illis potius assentio, qui pus in venas resorberi & cum sanguine ad partes has deferri, arbitrantur. Cùm autem de his superiùs jamdum dictum sit, unicum tantùm addo, nimirum quod puris in thorace contenti consistentia spissior non impedit, quo minus id ipsum vas aëre transmetteat ; siquidem crassities illa maximam partem tunc demum accedit, quando aëris accessus sit, sic sanguis pleuriticorum aëri expositus, consistentiam cutis densissimæ induit. Si itaque sanguini huic liber transitus concedatur, non video cur idem puri de- negetur.

XXIV. Explicatis nunc iis, quæ ad Pleuritidis cognitionem faciunt, ad ejusdem curationem devenio. Totum autem negotium in eo situm est, ut sanguis coagulatus resolvatur, ejusque acrimonia corrigatur : & si hæc adipisci nequeamus, suppuratio promoveatur, & materia per eas, quas natura eligit, vias educatur, simulque, quæ urgent, symptomata mitigen- tur.

XXV. Antequam verò ulterius progrediar, quædam de V. S. mo- nenda veniunt. Nam Veteres ad unum penè omnes venæctionem pri- marium in hoc morbo remedium prædicantes, sanguinem ad ejus mutationem miserunt ; quin evacuationem ejus uno die bis, ter, quater repe- tierunt. E contrario *Helmontius* & qui eum sequuntur, remedium hoc tanquam maledictum cane pejus & angue fugiunt. Mihi illi arrident, qui V. S. nec promisè admittunt, nec penitus rejiciunt. Hodie enim post- quam causa pleuritidis melius innotuit, ejusdem indicationem ordinarie nullam esse, manifestum est ; quare plurimos absque ea felicissime cura-

ros esse videre est apud Helmont. in *Tr. Pleura Furens. Ettmullt. med. theor.*
& *prax. instr. cap. 3. de aux. V. S. p. 117. §. 7. Ephem. A. N. C. ann. 3.*
obs. 7. p. 10. Straus. Palaestr. medic. part. 2. p. 55. sylv. Prax. l. 1. cap. 40. §.
26. Ludov. Pharm. diff. 1. p. 123. Doleum Encycl. med. lib. 2. c. 3. p. 286.
Excellenissimum Wedelium, Preceptorum meum nunquam satis depreeditan-
dum in opiol. l. 2. Sect. 2. cap. 3. p. 112. Quin ejusdem administrationem in
certis circumstantiis, ubi nempe malignitas conjuncta est, funestam esse,
noscitur ex Hoechstett. obs. dec. 7. Cas. 5. p. 107. & 108. Gesner. lib. 1. Ep.
19. Ephem. A. N. C. ann. 1. obs. 51. Interim tamen cum malum hoc san-
guinis abundantiae dolores atrocissimos & suffocationis periculum sum-
num inferenti ortum non raro debeat; hinc ut symptomatibus his suc-
curredamus venæsectione carere non possumus. Ipso enim illo momento
quo hæc celebratur, doloris lenitio, ardoris mitigatio, & respiratio li-
berior sequitur: ita Sydenham. l. c. p. 249. & Binning. loc. cit. p. 264. pleu-
ritides annotarunt, in quibus, nisi V. S. fuerit celebrata, ægri ne tussi-
re quidem valuerunt, sed dolore atrocissimo summaque dispnoealaboran-
tes, tantum non suffocati sunt. Quin exempla morbi hujus à plethora
manifestè orti, quæ non alio remedio, nisi sola venæsectione curata sunt
reperies in Ephem. A. N. C. Dec. 2. ann. obs. 128. & Binning. loc. cit.
p. 264.

XXVI. Omissa itaque vel celebratâ pro rei exigentia venæsectione, san-

guis resolvendus I. Diaphoreticis volatilibus v. gr. Spir. CC. Tartar. Salis

ammoniac. theriacal. camphorat. Tinct. bezoart. Theriac. Androm. Constant

hæc è particulis tenuissimis & maximè activis, quæ coagulata in corpore

nostro penetrandi, eademque ad pristinam fluiditatem redigendi vi summâ

pollent. Imprimis itaque conducunt, quando coagulationis intimioris,

vel malignitatis suspicio adest, in tali enim statu fixiora non sufficere, è

Medicorum recentiorum experientia frequentiori constat. Nec æstus, si

forsitan major conjunctus fuerit, plus quam par est, timendum est. Hic

enim, cum circulationis sufflamminatæ productum sit, sero & sanguine

in ordinem redacto, sponte cessat, modo salina, quæ se faciliter resol-

vunt, & præ sulphureis æstum minorem excitant, eligamus. Hac de re

latius & elegantissime differentem vide Ludovic. in pharm. differt. 1. p. 102.

Ettmuller. comm. Ludov. p. 93. Excellent. Wedel. in annen. mat. med. lib. 2.

Sect. 2. cap. 4. Junck. Prax. p. 877. Interim tamen in Pleuritide benigniori

hæc ipsa adeo non nocent, ut potius morbum in prima herba suffocare

valcent. Hinc Sylv. l. 1. Prax. cap. 40. §. 26. & 27. exhibito inquit, tem-

pestivè unico sudorifero è volatilioribus Pleuritis absque ulla V. S. felicissi-

mè curatur, cuius rei testem oculatum se profitetur Dolans in Encycl.

Medic. p. 286. ita Ettmullerus l. c. singularem Encheirisin esse ait, affectui

huic

hunc mox in principio per salia volatilia mederi: sic *Exc. Wedel. in opiol.*
lib. 2. Sect. 2. cap. 3. p. 111. si in principio, inquit, Pleuritidis opponantur
bezoartica volatilia, dici non potest, quām promptē morbus auscultet
Medico, quin unico sēpius sudorifero volatiliōri morbus jugulatur.
Plura vid. apud *Deck. in Exerc. Med. Pract. p. 562.* *River. obs. cent. 1. obs. 56.*
p. 72. *Bontek. in fundam Med. cap. 19. p. 112.* *Ephem. A. N. C. Dec. 1. ann.*
111. obs. 72.

XXVII. Licet autem Alexipharmacis volatilibus primarium in hoc morbo locum tribuerim, ea tamen in omni pleuride promiscuē propinanda esse, minimē praeципio. Cautē enim ea propinari velim (1.) in iis quorum corpora salibus scorbuticis sunt referta: in his enim nil nisi ebullitiones sanguinis majores & aestus intentiores excitant. (2.) In gravidis: cum enim volatilia jam dicta pleraque simul menses & foetum pellant, facilē fieri poterit ut ab eorum usu illegitimo abortus proveniat. (3.) Dosis eorum pro cause vehementia majori vel minori, & subjecti tolerantia ita moderanda est, ut sanguinem quidem fundamus, non tamen nimio fluore effe rationem reddamus, quem in finem his subiungenda sunt II. Fixiora v. gr. Antimon. diaphoret. Bezoart. minor. martial. oc. cancer. lap. perc. oss. cap. lucii pisc. dent. apt. cinnab. nat. sang. hirc. pulv. bez. & antipleur. Sennert. Myns. Röllsinc. Exc. Wed. Hæc non tantum serum & sanguinem coagulatum resolvendo obstructionem referant, sed etiam acrimoniam coniunctam corrigunt, unde cum utrique intentioni satisfaciant specifica in hoc morbo audiunt; at, quia mitius operantur, in coagulatione majori sola non sufficiunt, unde non nisi præmissis volatilibus in usum vocanda sunt. Si autem benigna sit Pleuritis aut ob rationes modò dictas volatilia suspecta reddantur, tunc hæc ipsa bis vel ter de die propinata, impritis volatilibus, ut sale viper. CC. & sim. acuata, officio suo satis funguntur.

XXVIII. Resolutionem insigniter adjuvant externa topicā v. gr. limenta ex ol. ceræ anis. scen. chamom. juniper. camph. myrrh. saccul. & fortus ex herba rosm. rut. abrot. scord. rad. galg. zedoar. bacc. laur. junip. sem. anis. carvi cardam. caryoph. &c. parata. Hæc calidē applicata particulis suis tenuibus, admodum activis poros cutis penetrant, humorum coagulum incident, atque ita ad restitutionem circuli sanguinis multum contribuunt.

XXIX. Quod si ob humorum subsistentium copiam vel coagulum intimius conceptum resolutio dictis jam remediis non succedat, suppuratione promovenda est emollientibus. v. gr. fotibus & sacculis è rad. alth. glyz. dil. alb. fl. cham. melilot. h. mercur. pariet. verbasc. sem. scen. gr. lini. Ex similius usu optimos effectus vid. apud *Forest. in obs. libr. 16.*
p. 198.

XXX. Dum verò hæc peraguntur, simul materia peccans per eas quas natura monstrat vias educenda est, & quoniam evacuatio hæc ordinariè per pulmones fieri solet, expectoratio adjuvetur bechicis, imprimis liquidis, v. gr. Elix. pectoral. Mich. Rollfinc. Exc. Wedel. syr. de hyssop. veron. aq. veroc. hyssop. ut & decoctis ex his & similibus paratis. *Ludov. Sepial.* duo medicamenta summè laudat, quæ doloribus his adeo utilia esse cognovit, ut multos qui jamjam suffocati videbantur ab ejusmodi periculis liberaverit; alterum est mel rosatum cum butyro, alterum ol. amygd. dulc. cum manna propinatum. *Strauß. in Palaest. Medic.* p. 2. 700. vñ. 2. p. 60. oleo lini solo uxorem militis Pleuriticam se restituisse affirmat. His cum successu aliquando acida admiscentur v. gr. spirit. sulph. nitr. salis, oxym. squillit. cautè tamen id fiat, nec hæc in usum vocanda sunt, nisi tussi cessante materia in tantum coagulata pulmonum bronchia obstricteat, ut orthopnœa summa & suffocationis periculum adsit, ibi enim hæc non tantum pulmones ad excretionem stimulando, sed & coagulum incidendo materiam ad exitum aptissimè promovent; unde *Sennert. lib. 2. Prax. cap. 16. p. 250.* licet, inquit, interdum medicamentis reliquis aliquid acetosi addere, ad majorem incisionem, & ut æger ad tußim non-nihil stimuletur. *Hoechstett. quoque obs. med. dec. 7. cas. 5.* eadem cum successu adhibuit. Ita *Dionys. van der Steere in Prax. Med. annot. 44.* juvenem, cui interitus imminebat per spir. salis gutt. 4. cerevis. instillat. maxima sputi copia promota, restituit. Quin in tali rerum statu lenia vomitoria in usum sunt vocanda, siquidem *Excell. Wedelinus Patronus meus namquam sine honoris præfamine nominandus in Amoen. M. M. lib. 11. Sect. II. cap. IX.* ait: cum aliquando desperata pleuristica quasi succumberet, nec propter viscedinem & copiam materia ejici posset expectorantibus, desperata quasi re, ausi sumus propinare sperma ceti cum tantillo tartar. emet. unde unico vomitu allevata adeo, ut hinc valetudinem reciperet. Quod si materiae hujus excretio per vias urinarias, vel alvum, fieri observetur, tunc ea diureticis, alvum laxcantibus moderate adjuvanda.

XXXI. Symptomata mitigationem requirentia sunt (1.) Dolor acutissimus, qui internè per opata externè fôtibus calidis, unguentis, ut & V. S. mitigatur, (2) Orthopnœa summa, cui partim V. S. partim expectorantibus, succurrimus.

XXXII. Denique aërem æger moderatè calidum eligat, cibis vescatur tenerioribus, abstineat ab acribus, falsis, Potus sit decoctum hordei c. C. C. Vinum vitet. Alvum in principio obstructam esse non nocet. Venus subtilissimas M. S. partes mirum quantum consumit, unde *Amatus Vir*, inquit, à pleuritide curatus, altera nocte cum uxore rem habens, in fine sexti diei obiit.